

Statuta legenda in Admissione Baccalaureorum in Theologia ad quorum Observationem singuli tenentur.

MAGISTER Artium sedulus erit Theologicæ atque Hebraicæ Lectionis auditor, quibus rebus annorum septem dabit operam, quo spatio bis disputabit contra Theologiæ Baccalaureum, semélque post quartum annum respondebit in Theologia, concionabitur Latinè semel, et semel Anglicè in Academiæ Templo, et semel ad Crucem vel in Templo D. *Pauli*, infra annum post gradum susceptum, si legitimè vocatus fuerit, et justâ causâ non impediatur; et semel apud *Burwell* ad assignationem D. Vice-cancellarii. Et si hoc in tempore in Theologia profecerit, per solennem inaugurationem Baccalaureus fiat. Si quis cupiens cooptari in ordinem Baccalaureorum Theologiæ, non responderit, nec opposuerit secundùm ordinem suprascriptum, is nihilominus poterit Baccalaureus fieri Theologiæ, si semel Doctori responderit.

Nullus ad interpretandum Cononicas Epistolas admittatur, nisi in sacris ordinibus initiatus, et infra eosdem constitutus, præsentetur Universitati post festum D. *Barnabæ*, et citra festum translationis S. *Martini*.

Singuli qui hîc Gradum aliquem subituri sunt, astrictos et devinctos esse se intelligant, ut Statuta ac hujus Universitatis probatas consuetudines pro viribus observent, útque ejusdem Universitatis pacem nullius rei prætextu perturbent, quin eos quos sic pacem perturbare noverint, ad Cancellarium seu ejus vices gerentem quamprimùm deferant: quòd denique honorem hujus Universitatis nostræ pro virili augeant, ornéntque.

Omnes quorum annuus reditus est ad Valorem quadraginta Marcarum præter stipendia quæ habent a Collegiis suis, aut ab Academia ratione alicujus Lecturæ, ad Gradum aliquem Scholasticum promovendi, dabunt Cancellario, Procuratoribus, reliquisque officiariis Togas solito more Academiæ, aut cum His component rationabiliter.

Quilibet Graduatus dum moram traxerit in nostro municipio, habitum habeat de proprio, Gradui suo competentem, quo Inceptionibus illius Facultatis cujus est Scholaris interesse poterit.

Postremò, Statutis nostris cautum est, nè quis hîc ad gradum aliquem admittatur, nisi se obedientem fore Cancellario aut ejus vices gerenti juraverit, séque sua privilegia renunciaturum, in quantum privilegiis et Statutis Universitatis contrariantur: Salvâ tamen semper Compositione inter Universitatem et Collegium Regale factâ.

Jurabis quòd hæc omnia observâsti et observabis, nisi aliter per gratiam ab Academia concessam dispensatum tecum fuerit, sicut te Deus adjuvet, et sancta Dei Evangelia.

Ex Decret. Academ. *Jun.* 1684.

Jurabis quod in Bibliothecam publicam admissus nihil quod ad ipsam pertinuerit sciens volens corrumpes, aut imminues, nullum librum permutabis, auferésve, aut ipse per te, aut per alium quemvis, nisi eo modo, iisque conditionibus, quæ per Universitatis decreta requiruntur: Quódque sis jure isto tuo sincerè, et bona fide usurus, atque omnino ita ut (quantum in Te est) nihil inde accrescat Bibliothecæ damni. Ita te Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.